

in potentia solum ratione partium, quatenus una continuatur alteri, sed non circumdatur ab illa, quia separata non est ab ea.

Sed objicies primo: Quia hac ratione non solum partes cœli, sed etiam totum cœlum est in loco in potentia quia etiam est in potentia, ut sibi aliud corpus superponatur, et ab eo circumscribatur in loco. Et licet hoc non possit naturaliter fieri, sed a solo Deo, etiam partes ipsæ cœli non possunt dividi, nisi a solo Deo. Secundo: Quia de facto cœlum movetur, et non solum in potentia; ergo debet acquirere locum in actu, et non in potentia, nam motus in actu debet habere terminum in actu, et nullum alium, quam esse in loco, quia est motus localis; ergo partes cœli habent locum in actu; imo totum cœlum, quia motus subiectatur in toto cœlo, et ipsum totum movetur, et non solum pars. Tertio: Quia motus cœli est primus motus; ergo est magis in actu, et per se, quam alii motus; ergo non debet habere terminum per accidens, et in potentia; id enim quod est in actu et per se, est potius eo, quod est per accidens, et in potentia. Et sic, cum primum cœlum sit nobilissimum corpus, debetur ei nobilissimus modus essendi in loco; ergo non per accidens, et in potentia. Ultimo: Cœlum actu habet ubi in suis partibus, et in ipso toto, alioquin non possemus designare ubi modo est sol, quando oritur, et ubi posteri quando occidit. Et idem est de partibus ultimæ sphæræ; sed illud ubi designatum, et in actu est circumscriptivum, utpote acquisitum motu locali in actu; ergo partes sunt actu in loco, siquidem actu habent ubi.

Ad primum respondetur, verum esse quod etiam tota sphæra est in potentia, ut sit in loco, sed hoc res-

pectu corporis, quod nondum est in rerum natura, licet possit a Deo creari. At vero partes dantur in re, licet earum divisio non possit nisi de potentia divina dari, ideo magis dicitur existens in loco respectu partium, quæ jam sunt in re, licet non sint divisæ, quam respectu alterius corporis superponibilis, quod nondum datur in re.

Ad secundum respondetur, cœlum moveri ratione suarum partium, sicut etiam corpus dicitur videre quia videt oculus. Talis autem motus in cœlo, licet de se fit productivus ubi circumscriptivi, tamen per accidens, quia est corpus ultimum, non habens aliud circumscriptivum, non producit de facto ubi circumscriptivum, ratione cuius dicatur esse in loco: producit tamen aliquid in actu, et de facto, scilicet modum aliquem propinquitatis, vel distantie respectu alicujus corporis circa quod movetur illæ partes, et ipsum totum, et hoc etiam pertinet ad ipsum ubi saltem inadæquate, eo quod ubi non solum dicitur circumscriptivum in loco, sed etiam distantiam aliquam, vel propinquitatem, sive modum applicationis, qui sit fundamentum relationis distantie, vel propinquitatis. Et sic dicit D. Thomas opuscul. LI: « Quod motus localis non solum est in loco, sed circa locum, » de quo explicatius dicemus sequenti questione.

Ad tertium respondetur, quod ut notat S. Thomas IV Phys. lect. vii, primo motui convenit minus de potentia, et de variatione locorum in ipso mobili, et minus difformitatis, et ita, quanto minus in actu variantur loca in mobili, magis acceditur ad uniformitatem, et immobilitatem. Unde non sequitur, quod motus actualior, et perfectior magis dicatur ponere aliquid in loco, quia esse actu in loco est esse subjectum

circumscriptum et limitatum a locante. Et ideo, quia primus motus est nobilior, et primi continentes non contenti ab alio; ideo non convenit illi ponere tale corpus actu in loco, id est actu subijcere loco, sed solum in potentia; minus enim perfectionis est, actu esse dependens, quam potentia, licet modum distantie, vel propinquitatis actu ponat.

Ad ultimum respondetur, quod partibus cœli convenit habere ubi determinatum, et designatum, quantum ad id, quod definitionis est in ubi, non quantum ad id, quod circumscriptivum. Hoc enim est ubi inadæquate sumptum in corporibus ad differentiam ubi definitivi in Angelis, qui ita sunt in uno loco, quod non in alio, sine aliqua tamen distantia, vel propinquitate positiva in ordine ad aliud, quia distantia mensurationem dicit extensionis, quæ non potest desumi ab uno Angelo ad unum corpus vel e contra. In corporibus autem, etiamsi non sit circumscripta, potest sumi ista distantia, et mensura extensionis ad alia corpora, idque per motum localem potest in vacuo variari, ut dicemus questione sequenti.

ARTICULUS IV.

Utrum duo corpora possint penetrari in eodem loco Divina virtute?

Triplex est sententia in hac parte. Duæ extremæ, et una media. Prima extrema putat etiam naturaliter posse duo corpora penetrari. Ratio est, tum quia non est de essentia quantitatis, ut alterum corpus semper expellat; tum quia plures experientie id videntur comprobare; videmus enim vas plenum cinere tantum aquæ recipere, quantum sine cinere. Ferrum candens ignem

recipit intra se, et panis madefactus recipit aquam, et vas aqua plenum recipit nummos, nec effunditur, quæ omnia sine aliqua penetratione corporum non possunt contingere.

Secunda sententia extrema est Durandi in IV, dist. XLIV, q. VI, qui dicit esse probabile, quod neque per Divinam potentiam duo corpora possunt penetrari. Fundamentum similiter est, tum ex ratione, tum ab exemplis. Ratione quidem, quia effectus formalis non potest impediri stante forma; est autem effectus formalis quantitatis occupare locum, et stante occupatione loci sequitur tanquam effectus privativus expulsio alterius corporis; ergo hic secundus effectus non potest impediri stante primo. Constat autem, quod in præsentem loquimur de penetratione corporum occupantium locum, nam remota occupatione loci, ut in corpore Christi sacramentato, non est dubium, quod possit simul esse cum altera quantitate. Consequentia vero patet, quia ideo non possunt duæ formæ substantialiales esse simul in eadem materia, quia effectus formalis unius habet adjunctam privationem alterius; sed similiter occupatio loci habet adjunctam privationem, et expulsionem alterius corporis a loco: ergo non potest impediri stante primo effectu. Ab exemplis autem probatur, tum quia duæ quantitates successivæ non possunt simul penetrari, verbi gratia, quod duos dies sint in uno, sic enim tolleretur eorum successivo; ergo duæ quantitates permanentes in eodem loco; tum quia si potest unum corpus penetrari cum alia, etiam posset una pars corporis cum alia, et sic tolleretur essentia quantitatis, quæ est habere partem post partem. Imo posset pars esse æqualis toti, ut si quantitatem manus intra digitum Deus penetraret.

Tertia sententia vera et tenenda, quæ communi calculo Theologorum probatur, dicit quantitatem etiam extensam in loco posse divinitus cum alia penetrari, non tamen naturaliter. De hoc videri potest S. Thomas in iv, distinct. XLIV, quæst. II, art. II, et super Boetium de Trinitate quæst. de pluralitate causarum, art. III; Scotus in iv, distinct. XLIX, quæst. XVI; Capreolus et Argentinus, Solo, Suarez, et alii quos citant Cursus Carmelitanus hic, disputat. XIX, quæstion. VII, et Conimbricenses quæst. IV, articulo. II. Et supponimus nihil aliud esse duo corpora penetrari, quam sub eadem superficie ambientis corporis, et in eadem distantia contineri. Hoc ergo dicimus repugnare naturaliter, non divinitus. Et repugnantia naturalis manebit probata ex ipsa explicatione non repugnantia divinitus.

Quod ergo divinitus non repugnet sumitur, tum a posteriori, quia sic factum est; tum a priori ex ipsa repugnantia naturali, quæ potentia Divinae non obstat. A posteriori ergo probatur, quia imprimis corpus Domini in nativitate exiit elauso utero sacratissimo B. V. et in resurrectione exiit de sepulcro inviolato, et immutato lapide; ad discipulos intravit causis januis; et caelos penetravit nulla facta divisione in eis.

Respondet Durandus, in egressione ex utero potuisse partes dilatari, et si non reserari, ad eum modum, quo in statu innocentia parerent feminae. Vel secundo exisse non transeundo per medium. Similiter egressum e sepulcro, quia corpus gloriosum ita potest constringi, ut per minimum foramen, vel porum exeat. Ad discipulos vero potuisse intrare januis subita quadam velocitate apertis, et iterum clausis. Cæterum primæ duæ solutione, non solum falsæ, sed etiam injuriosæ

videntur illi mysterio. Prima quidem, quia multum derogat summae Virginis integritati. Secunda, quia derogat nativitatibus veritati. Primum patet, quia tanta partium dilatatio, ut corpusculum exeat sine penetratione, nihil aliud est, quam apertio, et reseratio. Sicut etiam in statu innocentia parientes feminae integritatem virginalem non conservarent, licet sine dolore parerent. Miraculum autem nativitatis Christi non solum celebratur, quia partus fuit sine dolore, sed quia fuit salva omnimoda integritate; et in hoc præcipue assignatur miraculum, quia clauso utero exiit. Nullum autem esset miraculum, quod facta dilatatione partium exiret. Secundum vero patet, quia si transiret de utero ad terram, et non per medium, vere non nasceretur, quia non pareretur, parere enim est emitte fetus motu physico, et corporali, si enim procedit a matre. Motus autem corporalis non potest esse de extremo ad extremum, nisi per medium, si verus motus est; ergo sine motu corporali non datur partus, et sine partu non datur vera nativitas. Quod vero dicitur de corpore glorioso, omnino ridiculum est, quia tanta constrictio corporis sine magna alteratione per modum addensationis, vel compressionis contingere non potest, quod utique ejus impassibilitati non congruit. Denique, dicere, quod fores fuerunt apertæ, quando ingressus est ad discipulos, vim facit Scripturæ, quæ dicit: *Cum fores essent clausæ*. Durandus autem dicit esse apertas.

A priori autem probatur hæc veritas considerando rationem, ob quam una quantitas naturaliter resistit penetrationi. Putant enim aliqui, quantitatem resistere per aliquam efficientiam, quatenus unum corpus pellit aliud a loco, quando intrat in illum: sic enim pellit, si-

aut trahit, trahit autem virtutem efficientem, ergo, et pellit: et quia Deus potest denegare hunc concursus ad efficiendum, potest consequenter unum corpus non pellere alterum e loco. Quam sententiam sequitur Martinus in illustratione istorum capitum, notabil. VII. Cæterum falsa est ista sententia; tum quia quantitas non est activa, neque in quantum quantitas est dividens, sed divisibilis; divisio enim fit ab aliqua virtute motiva, verbi gratia, a gravitate, vel impulsu, vel aliquo simili; quantitas autem non est virtus motiva; tum etiam, quia si quantitas expelleret effective id faceret producendo aliquid, quod esset impossibile penetrationi, omnis enim efficientia aliquid terminum producit, quo formaliter fiat id, quod ab efficiente fit active, iste autem terminus, seu forma, quam quantitas producit, quando expellit, et resistit penetrationi, eandem patitur difficultatem atque ipsa quantitas, præsertim, quia illa efficientia expellens non potest esse nisi per motum, motus autem solum producit ubi, quod non est forma resistens penetrationi, aut saltem de hoc inquirimus rationem, cur repugnet duo ubi in diversis corporibus sub eadem distantia.

Quare ratio impenetrationis reducitur a D. Thoma, dist. XLIV citata ad ipsam quantitatem ratione effectus secundarii, qui est situationaliter collocare partes in ordine ad locum; pertinet enim ad quantitatem ponere unam partem post aliam, primo quidem in ordine ad se ordinando partes in toto, secundo vero ordinando eas in loco, et extendendo in diversis spatiis et terminis, sicut videmus in corporibus extensis, si quidem essentia quantitatis in extensione consistit coordinante unam partem post aliam in ratione partis: unde sequitur tanquam proprietas,

quod diversas spatiis facial diversas partes respondere, sic enim cordinantur. Hæc autem extensio localis obstat generationi; tum partium inter se in eodem continuo, alias omnes partes essent confusæ, et ad locum indivisibilem redacta, vel potius ad nullum. Tum etiam unius corporis erga aliud a se divisum, quia cum non sit continuum multo magis pertinet ad quantitatem extra se illud ponere, quam unam partem extra aliam, quæ est connexa in eodem continuo, si autem ponit unum extra aliud, non relinquit intra proprios terminos loci et hoc est non penetrari. Ex ipsa ergo extensione quantitatis nascitur, quod corpora et partes se tangent penes extremitates seu indivisibilia et terminos, ita quod una non intret in aliam, nec penetretur sub eodem loco. Hæc autem extensio, actualis ad locum non est effectus primarius quantitatis, quia salva quantitate, potest totaliter tolli, ut patet in corpore Christi sacramentato, ubi est quantitas ejus, sicut et reliqua accidentia sine extensione ad locum; ergo a fortiori poterit salva natura quantitatis iste effectus impediri, ne de facto aliud corpus expellat, sed intret in terminos ejus sine divisione ipsius quantitatis, sicut sine ejus divisione totaliter tolli potest in Sacramento, neque sequitur, quod idem effectus pendeat a duplici causa totali, verbi gratia, a duobus corporibus idem locus. Respondetur enim, quod in illis corporibus penetratis ponitur duplex ubi passivum, quamvis unicus locus circumscribens; non repugnat autem ab eadem causa multiplicari effectus in diversis subjectis, tunc enim comparantur quasi inæquata respectu illius, sicut ab eodem igne multiplicatur calor in diversis subjectis.

Ad primum pro prima sententia

respondetur quod licet sit contra essentialitatem penetrari cum alia, est tamen contra ejus proprietatem, seu effectum secundarium, qui illi connaturaliter debetur, et ideo naturaliter repugnat, non essentialiter.

Ad secundum respondetur quod in vase pleno cinere tantum recipitur de aqua, quantum sine cinere, quia propter nimiam cineris siccitatem plurimum aquæ evaporatur, et reliqua imbibitur, et multa loca cineribus plena aere, replentur, et constipantur aqua. Similiter, quando injiciuntur nummi in vas plenum aqua, faciunt aquam crescere in cumulum quamdiu labra vasis sunt sicca, illis autem madefactis effunditur aqua. In tertio candenti ignis intrat poros ferri, qui nimio calore plus aperiuntur, et admittunt plus ignis. Et similiter infuso pane quidquid aeris est intra panem, repletur aqua, et constipantur partes sicca madefacta ab aqua, et sic dant ipsi locum.

Ad primum pro secunda sententia respondetur, quod actualis expulsio non fundatur in sola quantitate, aut formali ejus effectu quomodocunque, sed in quantum habet contactum actualem in ordine ad alterum: cum autem contactus fiat penes ipsas superficies, quia, ut dicit Philosophus v Physic. cap. III, ea se tangunt, quorum extrema sunt simul, tunc facit Deus, quod penetrentur duo corpora, quando impeditur contactus unius corporis ad alterum, nam hoc ipso non sunt simul penes superficiem, seu extremitatem partium, sed se totis, quod est penetrari. Potest autem fieri ista penetratio stante effectu formali quantitatis, etiam secundario, qui est occupatio loci, quia potest Deus impedire istum contactum respectu unius corporis, et non respectu alterius, et sic impedire expulsionem

unius corporis, et non alterius, atque adeo poterit habere contactum ad corpus circumscribens, et locans, quod est occupare locum, et tamen impediri contactum ad aliud corpus sibi appropinquans, sicque admitti, ut sit simul in eodem loco.

At vero in formis substantialibus expulsio unius formæ ab eadem materia non fundatur in aliquo contactu actuali respectu unius, et non respectu alterius, sed in ipsa ratione informationis substantialis in materia, quæ est informatio primæ actualitatis, et sic non potest supponere aliam priorem unde forma secundo adveniens, et informans repugnat, quod sit substantialis, id est, quod det primum esse, ut supra diximus quæstione XI.

Ad secundum fundamentum, ab exemplis respondetur. Ad primum, est maxima disparitas, eo quod ipsa ratio successione essentialiter petit unam partem esse post aliam; unde quomodocunque ponuntur, partes esse simul, seu penetrari, tollitur successio. At vero ratio quantitatis permanentis non consistit in contactu ad alia corpora, et potest stante quantitate contactum amittere absolute, ut corpus Christi in Sacramento, vel stante contactu ad unum impediri ad habendum contactum erga alterum, et sic esse simul cum eo in eodem loco, non tangendo illum secundum superficiem, sed etiam secundum partes divisibiles, per quod non tollitur extensio in ordine ad totum, quod est effectus primarius quantitatis, neque in ordine ad locum, quia potest manere contactus ad locum, et impediri respectu alterius corporis ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicitur, quod si Deus reduceret totam quantitatem unius brachii ad locum digiti, illa quantitas extrinsece, et in ordine ad locum esset æqualis suæ parti, sed radicaliter, et intrinsece

in ordine ad totum esset major, quia plures habet partes, et de se petit majorem extensionem in loco, quam sua pars, licet de facto non occupet illum.

ARTICULUS V.

Utrum implicet unum corpus esse in pluribus locis circumscriptive?

Loquimur de præsentia circumscriptiva, quia esse in loco unum corpus circumscriptive, et non in alio, constat ex fide; nam corpus Christi extensive est in cælo, et sacramentaliter in Eucharistia. Sed quia circumscriptio ita adæquat rem locatam, quod supponit in illa ultimam superficiem, ultra quam non continuatur, neque extenditur, ideo specialem difficultatem habet; an res semel locata, et circumscripta possit in alio loco similiter circumscribi: et altera superficie terminari manente adæquatione loci, et unitate locati. Et hoc dupliciter potest fieri, uno modo stante eadem substantia et quantitate corporis, eademque superficie: alio modo posita duplici quantitate in eadem substantia corporis, ita quod secundum unam terminetur in uno loco, et secundum aliam in alio, nulla facta divisione in eadem quantitate, sed alia superaddita.

Est igitur in hac difficultate duplex sententia inter scholam D. Thomæ et Scoti; nam Scotus in IV, dist. X, q. II, per totam tenet non implicare contradictionem unum corpus circumscriptive esse in duplici loco, quem præter ejus scholam sequuntur communiter recentiores, ut Conimbricenses, Suarez, Bellarminus, Valentia, Rubius, et alii qui citantur in Cursu Carmelitano hic disputat. XIX, quæst. VII. Imo multi addunt hanc sententiam esse conformiorem veritati, et principii fidei, quibus realis

præsentia corporis Christi in Eucharistia stabilitur.

Fundamentum hujus sententiæ reducitur ad tria capita. Primum, ex effectibus, quia de facto ita aliquando contigit. Secundum, ratione. Tertium, ab exemplis. Primum probatur, quia imprimis, quando Christus apparuit Paulo, visus est ab eo in proprio corpore, ut argumentatur S. Thomas in part. quæst. LVII, art. VI, quia alias non posset esse testis resurrectionis ejus; et tamen Christus tunc non recessit a cælo, quia usque ad diem judicii non descendit inde, juxta illud Actor. *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium*. Et Augustinus dicit: « Quod donec sæculum finiat, rursus est Dominus. » Ergo oportuit, quod tunc Christus Dominus non recessens a cælo videretur in aere a Paulo, et sic extitit in duplici loco. Omitto alias visiones, quibus Christus Dominus visus est in terris, vel apparuit in Eucharistia. Hæc enim referri possunt, non ad visionem in proprio corpore, sed in aliquo apparente; atque adeo non ita probant, sicut visio illa Pauli.

Secundum fundamentum est ex ratione, quæ desumitur ex responsione, vel improbatione implicationis contrariæ; videntur enim valde infirmæ rationes, quibus ista implicatio probatur, et si aliqui probant, etiam probarent corpus Christi non posse indivisibiliter esse in pluribus hostiis, nam quod dicitur locum circumscriptivum ita adæquate terminare, et comprehendere corpus, quod extra ipsum non permittit esse circumscriptive; eodem modo probat, quod non permittit esse sacramentaliter, nam si potest excedere illos terminos circumscriptivos existendo alibi indivisibiliter, quid refert, quod excedat illos existendo alibi divisibiliter attendendo præcise ad adæquationem primæ circum-

criptionis? Quod vero additur sequi, quod idem corpus esset divisum, si poneretur in duplici loco, vel quod etiam posset idem corpus esse in infinitis locis si semel potest esse in duobus, quia est eadem ratio de infinitis, utrumque sequitur eodem modo in corpore Christi sacramentato, et ibi solvenda sunt hæc inconvenientia. Nam etiam sequitur, quod possit esse in infinitis hostiis sine termino. Nec tamen sequitur, quod si unum corpus sit in infinitis locis, quod sit ubique sicut Deus, quia neque a seipso, nec primo, et per se esset² ubique; Deus enim ita est totus in omni loco, quod est totus in omni parte loci, et sic totus est ubique, illud autem corpus est in quolibet loco per suas partes. Similiter non sequitur corpus Christi esse divisum, et indivisum, ex eo quod est in cælo, et extra cælum sub quantitate aliena, scilicet sub speciebus panis. Quare ergo erit divisus, si sit alibi sub quantitate propria, præsertim, si duplicem quantitatem haberet? Præterquam quod solum sequitur divisio ista quoad locum, et circumscriptionem; non quoad entitatem, et substantiam, quia hæc non sumitur ex multiplicatione locorum, quæ accidentaliter est.

Tertium fundamentum sumitur ab exemplis. Nam imprimis potest idem corpus esse in duplici loco, altero divisibili, altero indivisibili, ut patet in corpore Christi; ergo potest dependere a duplici præsentia, altera naturali, altera supernaturali, et indivisibili, quarum quælibet adæquate, et totaliter in suo genere reddit illud corpus præsens. Ergo similiter poterit dependere a duplici præsentia circumscriptiva, licet utraque sit adæquata. Neque enim ex eo quod sit circumscriptiva aliquid amplius addit supra alteram circumscriptionem, quam multiplicare ipsa loca, quæ solum accidentaliter se

habent ad multiplicationem substantiæ. Item non repugnat idem corpus affici duplici quantitate, vel duplici albedine, aut calore, neque repugnat eandem naturam duplici subsistentia divina terminari. Ergo neque repugnabit duplici ubi circumscribi, licet utrumque sit adæquatum, et sufficiens. Confirmatur, quia unitas loci stat cum duplicitate corporis, ut patet cum duo corpora penetrantur. Ergo etiam duplicitas loci stabit cum unitate corporis. Consequentia patet, quia si diversas corporum dependet ex diversitate loci, etiam unitas dependebit ex unitate: et e converso si unitas non dependet, ut manifestum est, etiam non dependebit diversitas, sed accidentale sibi erit.

Opposita sententia perpetuo defenditur a D. Thoma in multis locis, ut in iv. distinct. x. quæst. 1. art. iii. q. ii. et apertius distinct. xiv. quæst. ii. art. ii. quæst. iii. ad 4. ubi dicit: « Quod unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum; » et quodlibet. iii. art. ii. ubi dicit: « Quod corpus esse in duplici loco circumscriptive est ponere duo contradictoria simul. » Idem insinuat iii. part. quæst. lxxv. art. 1. in argumento iii. adjuncta ejus solutione, et opuse. lxx. quæst. iv. articulo v. Sequuntur D. Thomam communiter omnes ejus discipuli, et præterea S. Bonaventura in iv. dist. xlv. art. de dote subtilitatis; Durandus in dist. x. q. iv. numero viii; Hervæus, Paludius, Ægidius, Abulensis et alii quos sequitur P. Vazquez tom. iii. in iii. p. disp. clxxxiv. c. iv. et Mag. Lorea in manuscriptis de Eucharistia, ut citat Cabero hic disp. i. dub. v.

Ex pluribus autem implicationibus, quæ afferuntur, ad illam tanquam ad præcipuam cæteræ revocantur, quia ita unum corpus sub unica quantitate existens adæquatur

ad unam circumscriptionem, quod si ponatur in duplici loco circumscriptive dividetur ejus quantitas, et consequenter ipsum corpus: sicque erit simul idem, et diversum. Quod quantitas dividatur hoc ipso, quod ponitur eo modo in duplici loco, ex eo probatur, quia illud corpus sic positum in duplici loco, haberet duplicem superficiem terminantem, ita ut simul accederent, tangerentur vero contactu, sicut et tangunt illa loca, in quibus ponuntur, alias non locarentur in duplici loco, si in utroque non haberent contactum ad dicta loca; illa autem se tangunt, quorum extrema, seu superficies sunt simul, ut dicitur v. Physicor. cap. iii. Ergo si illud corpus ponitur in duplici loco, duplicem debet habere superficiem, siquidem si poneretur in loco sibi immediato, vere esset sibi contiguum, et verum contactum haberet ad se; sicut habent duæ manus, et sicut habent verum contactum ad corpus circumscribens se in duplici loco; si enim penetrarentur, hoc ipso non esset in duplici loco, quod est destruere casum, potest autem poni in loco sibi immediato, si semel potest poni in duplici remoto, sed ea dicuntur habere contactum, et esse contigua, quorum extrema sunt simul; ea vero continua, quæ communi termino copulantur; ergo illud corpus positum duplici loco sibi immediato, verum contactum habebit: atque adeo duplicem superficiem. Non ergo stante eadem quantitate, seu superficie potest poni in duplici loco modo circumscriptive. Et amplius hoc patet, quia si ponatur corpus in duplici loco a se remoto, v. g. Romæ, et Compluti, hoc ipso quantitas illius corporis manet divisa: ergo non potest manere eadem. Consequentia est manifesta, et antecedens probatur, quia illa quantitas discontinuatur, ergo dividitur, tunc enim dis-

continuatur quantitas, quando inter hanc, et hanc quantitatem interponitur aliquod corpus medium, quod non continuatur cum tali quantitate; sed posito corpore Romæ et Compluti inter corpus, quod est Romæ, et Compluti interjacet aer, vel multa alia corpora, quorum nullum continuatur cum illo; aer enim, qui ambit corpus Romæ est contiguum illi tanquam locus ejus, non continuum, et similiter aer, qui est Compluti. Ergo discontinuatur quantitas istius corporis hoc ipso, quod ponitur in duplici loco, et sic est quantitas divisa, non eadem; et sic est contradictio, quod idem corpus, seu eadem quantitas ponitur in duplici loco, et non maneat divisa.

Huic rationi tripliciter potest responderi. Primo, instando illam, nam etiam quantitas corporis Christi est in cælo, et in Sacramento, nec tamen est divisa, nec alia. Ergo similiter non erit divisa ex eo, quod ponatur circumscriptive, in duplici loco. Secundo, dicendo quod ex ista positione in duplici loco non sequitur divisio intrinseca in quantitate, vel corpore, sed solum extrinseca secundum duplicem ubicationem, seu locum, quod verissimum est. Tertio, quod saltem non repugnabit esse corpus in duplici loco, si ei duplex quantitas tribuatur a Deo quod nullam repugnantiam involvit.

Ad primam instantiam respondetur, quod corpus Christi in Sacramento habeat eandem quantitatem, et superficiem, quam in cælo, quia modo indivisibili, et incircumscripto illam habet in Sacramento, et sic bene stat, quod sit eadem superficies, quia ex ipso modo existendi non dividitur, neque discontinuatur, sed existit ad modum substantiæ in Sacramento sine ullo contactu ad alia corpora; et sic non currit argumentum contra modum existendi sacramentalem, sicut contra

modum circumscriptivum in duplici loco, quia non dividit superficiem hoc ipso, quod non ponit illam modo divisibili in alio loco. Nec oportet reducere explicationem huius mysterii ad eas angustias, quas patitur existentia in duplici loco circumscriptivo; fit enim illud mysterium minus intelligibile præcipue Philosophis, si intelligatur corpus Christi ad modum corporis divisi in duplici loco, aut si dependeat intelligentia huius mysterii a positione corporis in duplici loco circumscriptivo, licet enim hoc videatur reddere magis intelligibilem existentiam duplicem corporis in cælo, et in Sacramento, minus tamen intelligibilem reddit identitatem ejusdem corporis, quoniam duplicata circumscriptio discontinuatur.

Ad secundam instantiam respondetur, quod non est intelligibilis illa duplex ubicatio, et circumscriptio, sine discontinuatione, et divisione quantitatis, quia nihil aliud est quantitatem dividi, quam ita poni in loco, quod interponatur aliud corpus medium non continuatum cum illis extremis; sicut necessario sequitur posito corpore in illo duplici loco per modum contactus, et circumscriptio.

Ad tertiam instantiam dicitur, implicatione allatam non currere, si unum corpus habeat duplicem quantitatem; idque videtur sentire D. Thomas quodl. III, art. II, ubi ponit argumentum: « Quod dimensio panis poterat converti in quantitatem corporis Christi, sicut substantia panis in substantiam corporis Christi. » Et respondet: « Quod si dimensio huius corporis converteretur in illam dimensionem alterius corporis, jam non erunt duæ dimensiones, sed una tantum; et sic non commensuraretur diversis locis, sed uno tantum. » Ergo a contrario sensu, si daretur duplex dimensio,

non repugnaret commensurari duplici loco. Et sicut modo corpus Christi mediante dimensione panis, cui alligatur, est in duplici loco, uno per se, id est, per propriam dimensionem in cælo, altero per accidens, id est, per alienam quantitatem in terra: ita si talis dimensio, vel alia similis, et ejusdem figuræ cum dimensione propria corporis Christi, ei non alligaretur extrinsece sed per inhærentiam intrinsecam uniretur; non minus posset esse in duplici loco, altero per se, altero per accidens ratione illis duplicis quantitatis sibi inhærentis. An vero hoc sit possibile de potentia absoluta, ut duplex quantitas eidem corpori tribuatur per inhærentiam intrinsecam non disputo in præsentia, neque in eo invenio apertam repugnantiam, ut sicut alligatur aliena quantitas panis corpori Christi, ita ei inhærerere possit alia similis figuræ, et extensionis cum sua propria; sed quod dicimus est, quod stante eadem quantitate, repugnat poni circumscriptive in diverso loco, quia hoc est idem ac dividi; si tamen daretur duplex quantitas, nulla currit implicatio.

Omitto plures alias rationes ab inconvenienti deductas, in quibus solvendis valde laborant Auctores oppositi, v. g. quod si ponatur unum corpus in duplici loco, poterit moveri idem corpus motibus contrariis, et hic habere summum frigus si ponatur inter nives, ibi summum calorem, si inter ignes; hic occidere, vel occidi alibi non; hic fame perire, ibi saturari, et multa similia, quæ facile considerari possunt: quæ absurda oppositi Authores ea distinctione solvunt, quod illa accidentia quæ dependent a loco, ut moveri sursum, et deorsum flagellari, et percuti, et similia, ita conveniunt in uno loco, quod non in alio. Quæ vero a locali distantia

non pendent ut esse mortuum et vivum, calidum et frigidum, si conveniunt in uno loco, conveniunt etiam in alio, quod tamen in singulari explicari satis difficile, præsertim cum plura ex his quæ a loco non pendent, privative opponantur. Sed in hoc non facimus vim.

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quando Christus Dominus apparuit Paulo, corporaliter quidem apparuisse, ut convincit ratio S. Thomæ, alias non posset Paulus testis resurrectionis esse, sicut alii Apostoli, si ipsum verum Christi corpus non vidisset, sed si hæc apparitio facta est in aere (ex Scriptura enim non constat in aere vidisse Christum, vel in ipso cælo, sed solum lumen de cælo circumfulsisse eum) revera descendit corpus Christi de cælo. Nec oppositum ex illis auctoritatibus ullo modo deducitur, solum enim probant Christum esse in cælo usque ad diem iudicii tanquam in loco sibi debito ad gloriam et honorem, sicut regi debetur thronus, non tamen, quia necesse sit semper ibi sedere, et nunquam moveri. Unde notanter Scriptura dicit: *Quem oportet cælum suscipere*, non tamen addit, quem oportet semper retinere. Et Augustinus dicit: « Quod sursum Dominus, donec sæculum finiatur, » quantum ad habitationem sibi debitam, non quantum ad alligationem localem, neque enim habet cælum pro carcere, sed pro gloria, quæ nullo modo minuitur beatis ex descensu Christi, quia æque bene videbunt corpus ejus; etiamsi descenderet ad hunc mundum inferiorem. De aliis apparitionibus Christi non ita constat in proprio corpore descendisse, sed secundum aliquam apparitionem, aut per Angelum aliquem in assumpto corpore. Si tamen vere aliquibus apparuit in pro-

prio corpore, revera ad illos descendit. Præcipue autem in Eucharistia non videtur apparere Christus in proprio corpore, sed formari ex aere circumstante corpus aliquod in specie carnis, vel pueri aut quid simile, in quo apparet, ut constat D. Thomas III p. q. LXXVIII, art. VIII. Quod si vellet Christus Dominus in Eucharistia demonstrare corpus proprium in specie propria id deberet fieri descendendo de cælo.

Ad secundum constat, in quo consistat implicatio existendi in duplici loco circumscriptivo, quæ tamen non sequitur ex eo quod sit sacramentaliter Christus in Eucharistia, et modo quantitativo in cælo; inde enim non sequitur, quod si sub duplici terminatione sibi adæquata in eodem genere circumscriptio, sed sub diverso genere, et secundum diversum modum, alterum divisibilem, alterum indivisibilem, nec resultat aliqua divisio, et multiplicatio superficiæ, vel quantitatis in corpore Christi, cum in Sacramento non sit in loco per contactum ad alia corpora neque divisibili modo, et consequenter neque talis separatio locorum facit divisionem, seu discontinuationem. Quando vero instatur, quod etiam non manebit divisum illud corpus, si ibi maneret sub propria specie, negatur consequentia. Et disparitas constat ex dictis, quia illa quantitas aliena non discontinuat, neque dividit propriam, quæ Christus est in cælo, cum sit quantitas distincta. Si autem propria quantitas ibi ponatur modo circumscriptivo, hoc ipso etiam ponitur modo divisivo, quia ponitur modo divisibili secundum diversam terminationem, et locationem, quod non potest stare sine discontinuatione quantitatis. Si vero modo indivisibili in alio loco ponatur, non addit novam terminationem, quæ novum contactum habeat, et conse-

quenter neque discontinuationem, sed eandem superficiem, et quantitatem, sub modo indivisibili ponit. Et licet discontinuatio illa sit quoad locum, essentialiter tamen illi annexa est discontinuatio quantitatis, quæ consistit in duplici terminatione; divisa autem quantitate dividitur corpus, cujus individuatio dependet ex designatione quantitatis, et indivisione ejus, tanquam ex conditione per se requisita, ut in libris de Generat. dicitur. Sed tamen implicatio posita currit, præsupposito quod sit eadem quantitas in corpore existente in duplici loco, et non aliter.

Ad tertium respondetur, quod attinet ad primum exemplum, jam satis dictum est, quod illa presentia sacramentalis non est presentia propria corporis, sed diversi generis, et ideo respectu illius non currit implicatio allata; neque enim dividit quantitatem, ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicimus non esse contra nos, quia si eidem corpori attribuat duplex quantitas, non repugnabit esse in duplici loco sine divisione ejusdem quantitatis, in quo consistit implicatio allata.

Ad tertium exemplum dicimus, quod personalitates Divinæ non habent oppositionem relativam nisi inter se non respectu naturæ, quam terminant, vel assumunt; cum ex eadem perfectione, et eminentia proveniat in ipsis Personis terminare alienam naturam, eodem enim modo Persona Patris potest terminare humanitatem assumptam, sicut Persona Filii. At vero diversitas loci circumscriptivi discontinuat quantitatem, quia non potest aliter intelligi existentia in loco distantis, nisi cum discontinuatione quantitatis, seu divisione, cum qua non stat identitas ejusdem quantitatis, quæ est implicatio allata.

Ad confirmationem respondet ex D. Thoma in iv, dist. XLIV, supra citata, ubi ponit idem argumentum, quod cum unitate loci extrinseci stat diversitas quantitatis; cum diversitate vero loci non stat unitas, eo quod sufficit ad discontinuandum, et dividendum quantitatem discontinuatio loci, ut probatum est. At vero unitas loci non sufficit constituere unitatem quantitatis, si alias subjectum, in quo est quantitas, non est unum; accidentia enim maxime habent unitatem suam ex unitate subjecti, licet quantitas etiam dependeat ex unitate loci, sine qua discontinuatur, et dividitur: quare unitas quantitatis dependet ex duobus, scilicet unitate subjecti, et loci, et quocumque sublato, solvitur unitas, quia malum ex quocumque defectu. Et ideo stat bene diversitate quantitatis penetratio, et existentia in eodem loco, quia ob diversum subjectum illa quantitas supponitur diversa, non autem stat cum diversitate loci circumscriptiva unitas quantitatis, quia diversa circumscriptio discontinuat.

QUÆSTIO XVII.

DE VACUO.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum vacuum naturaliter sit dabile?

Supponimus definitionem vacui traditam ab Aristotele in hoc libro, cap. VII, quod sit *locus non repletus corpore*. Quod autem aliqui addunt *aptus tamen repleti*, superfluit ut bene notat Magister Soto in presenti questione tertia. Nam hoc ipso, quod dicitur locus, aptitudo ad repletionem designatur. Et ideo in hac defi-

nitione non includitur vacuum negativum, quale est extra cælum, quia ibi non datur locus, id est, superficies aliqua non continens intra se aliud corpus. Potest tamen definiri quod est spatium carens omni corpore, de quo D. Thomas 1 p. q. XLVI, art. 1 ad 8, ubi inquit: « Quod supra cælum est, et ly supra designat locum imaginarium. »

Suppono secundo, vacuum negativum de facto dari, cum supra cælum nullum sit corpus, cum ibi finiatur hoc universum. Vacuum autem privativum intra universum non datur ex ipsa inclinatione naturæ, eo quod tale vacuum impediret ordinem, et dispositionem corporum in universo; quod constat corporibus ordinate dispositis. Vacuum autem cum privet corpore, ad nihil deservit, nisi ut tollat istum ordinem, et ideo singula corpora toto impetu feruntur ad replendum vacuum etiam cum detrimento proprii loci, ut cum aqua ascendit per fistulam aere attracto. De potentia tamen absoluta Dei nulla est implicatio, quod detur vacuum, quia potest annihilare, vel separare quocumque corpus, et impedire, seu denegare concursum, ne aliud moveatur ad locum ejus.

Difficultas ergo tota consistit, an detur aliqua virtus in rebus creatis, sive in corporibus, sive in spiritibus, ad faciendum vacuum contra inclinationem naturæ. Nam licet ex parte corporum plures afferantur experientia, quibus natura obsistit vacuo: non tamen ex hoc probatur, nullam dari virtutem ad ponendum vacuum, licet providentia Divina id non permittat propter conservationem universi, sicut ex causis naturalibus potest generari tanta pluvia vel ignis, quod destruat totam terram, si id providentia Divina permittat. Ad hæc, necessitas illa, et dependentia mundi sublunaris a

cœlesti, non ostendit in rerum natura non esse vim aliquam ad inducendum vacuum; tum quia hæc ratio non procedit in ipsis corporibus cœlestibus, in quibus non est dependentia pro sui conservatione ab influxu cœli; cur ergo saltem ibi non poterit dari vacuum? Tum secundo, quia non est certum, quod deficiente influxu cœli, etiam ad momentum statim peribit corpus inferius, et dato hoc, solum probatur non posse naturaliter fieri tale vacuum, quo totus mundus inferior privetur cœlesti influxu. Quod vero pars aliqua mundi tali influxu careat, non est majus inconveniens, quam quod illa pars destrualur; quotidie autem videmus partes universi immutari, et corrumpi. Denique, licet videamus ista corpora inferiora tanto pondere inclinari ad impediendum vacuum, hoc tamen solum probat, non posse induci vacuum ab inferiori corpore, quod solum potest operari circa aliud corpus inferius, non tamen probat, quod a corpore cœlesti, vel ab aliqua occultiore vi non possit vacuum induci.

De spirituali virtute major est difficultas, eo quod quantum, et quid possit virtus angelica, valde nobis occultum est. Potest tamen æqualiter fieri argumentum; tum quia Angeli movent totum cælum, ergo a fortiori poterunt movere totum elementum et impedire, ne unum corpus alteri succedat; tum etiam, quia virtus totius naturæ corporeæ ad replendum vacuum est finita; ergo poterit aliqua majori, etiam finita vinci: major autem est spiritualis virtus, quam corporeæ; ergo non repugnat, quod totius naturæ spiritualis, verbi gratia, omnium Angelorum virtus superet totam vim naturæ corporeæ ad replendum vacuum. Denique, licet influentia cœli feratur per lineam rectam, et ideo